



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quoad famulos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

4. Ex his placitis tam variis, quæ certè inniuntur variis rerum circumstantiis, vides (quamvis ea iuvent ad deliberandam rem admodò molestam) meliorem huius expensionis trutinam non esse, quam prudentiam Confessarii dictam num. 1.

An filij, ut etiam uxor possint occultare bona Patris, vel viri defuncti, ne veniant in manus Creditorum, dicam inferius, Tract. 5. cap. 1. num. 9.

Quoad Famulos.

5. Quoad famulos ego distinguo servos conditione à servis perpetuis, siue Mancipiis Domino prorsus addictis. Si de his posterioribus loquamur, puto, si medica (juxta conditionem servi quoad victum, & vestitum sibi competentia) à Domino ea nolente dare, accipiant, vix posse perveniri ad mortale, & interdum ne ad veniale quidem. Ratio est, quia in his negandis irrationabiliter est Dominus invitus. Quo verò ad pecuniam, aliâque bona, vix assurgit Mancipium hoc à conditione extraneorum, expendendus nihilominus est amor in ipsum Domini, utilitas, servitio, officiaque ab ipso exhibita, juxta superius, universim dicta num. 1.

In prioribus servis, quibus sua merces ex pacto datur, si hi aliquid amplius auferant, peccabunt: non tamen ad æquam mensuram extraneorum, quia etiam respectu horum, utpotè domesticorum præsertim in modicis, reliquiique ciborum, minus sunt inviti Domini. Adde eos tacite consentire in furtulis famulorum, alioqui non valde gravibus, quandoquidem faciunt hæc solere ab ipsis committi, & tamen eos conducunt. Sed enimvero prudentia opus est, ne nimis laxas habenas servis relinquas, nec nimis angustas. An exigua mercede ob suam necessitatem conducti possint per furtum, usque ad justam mercedem sibi providere per occasionem diximus in 3. opuscul. de Sacrific. Miss. libro tertio cap. 1. §. 3. num. 59.

6. Prædicti omnes, si materia suæ parvitatem excelsere, obligabuntur sub mortali restituere: & uxor quidem restituere debet, vel statim, si bona propria habeat, vel habere possit: vel debet post mortem Mariti, Mariti heredes restituere ex dote, quam repetit. Filiis item ex proprio peculio statim, vel si proprium peculium non habent: debent post mortem Patris in divisionem cum fratribus adducere, vide præ dixi sup. lib. 5. dec. cap. 4. §. 2. de Donationibus inter Patrem, & Filium. Excusabitur tamen à restitutione filius post mortem Patris, si fratres simile quid furari sint, vel si iidem condonent, vel si pater actu condonavit, vel putatus fuit condonatus si fuisset à filio rogatus, qui ob verendum non petiit condonationem, & de summa agatur de qua disponere poterat Pater. Atque hanc excusationem ductam à condonatione expressa, vel præsumpta extendi ad uxorem modo, quò dicitur in filio, dubium nequaquam fit. Denique pari modo obligabuntur statim, quando habent, unde restituant, nisi ex Domini benignitate, amore, &c. confidant parumper, vel diu posse differre, imò & omnino restitutionem negligere.

CAPVT IV.

De quantitate Furti Religiosorum sufficienti ad mortale.

Non est sermo de furtis, quæ fortè Religiosus admittit ex bonis omnino alienis, tunc enim si is habet, perinde ac ceteri fures, de quibus hætenus disputatum est, obligabitur modo tamen infr. 11. 4. cap. 1. §. 1. a num. 7. explicatius afferendo, sed loquimur de furtis ex bonis sui conventus, in quo ipse alitur. Et quærimus primò, quanam quantitas sufficiat ad mortale; & quoniam,

ut supra vidimus, Religiosus propter Votum Pauperis non potest usurpare bona illa externa, etiam lentibus Dominis, nisi de Superioris consensu, etiam secundo, quoniam quantitas requiritur ad hoc, contra ejusmodi votum mortaliter peccet. De quibus in censuræ ab aliquo vocer, ita agam, ut Ductum potius afferam verba, quam mea.

2. Quoad priorem sic habet Suarez. t. 3. de Rel. lib. 1. n. 40. 41. Quando Religiosus propria auctoritate sine licentia explicita, vel tacita, vel præsumpta, cumiam, vel aliud ex communibus bonis usurpat, scilicet mortale, si materia attingat quantitatem saltem quatuorcentorum, & interdum poterit minor sufficere juxta circumstantias, (intelligo, si quando Mortale pauperi grave sic damnum inferretur, vel quidam De alio bonis Monasterij usu consumptibilibus, potestibus scilicet ad cibum, & potum, si tantum ad proprium usum actuale, ut sic dicam, & transitorium a his sit aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi damnum Religioni esset nimis, & extraordinaria, & præstare. Extra hujusmodi enim res hujusmodi reputatur levioris conditionis (excipitur Sanchez, quando Religio pro paupertate, aut alia re, quæ determinatur solum daret Religiosis: tunc perinde est invitus Superior quoad comestibilia, quoad reliqua; intelligo, excepto casu necessitatis alimentorum.) Et quavis Prelatus hoc displicet, tamen ita sunt involuntarij, ut illam reputent mortalem in ordine ad pauperem, sed solum in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis. Accedit, quod Religiosi quoad usum hujusmodi rerum, trallantur ut Inter parentem autem, & filium non censetur furtum alio gravius. Secus verò esset, si hujusmodi res magna quantitate acciperentur, & occultè retenta paulatim consumerentur: nam illud esse posset grave peccatum, quatenus ad id discutendum in particulari magna præsumptio sit. Et num. 43. sic addit: In rebus tanto usu consumuntur si accipiuntur ab externis, cum major gravitas, si res in magna quantitate accipiuntur occultè retenta paulatim consumuntur: nam accipere solum tantum actum utendi v. g. comedendi, aut bibendi regulariter non estimatur materia gravis in ordine ad pauperem: quidquid id sit de obedientia aut de alio servantia Religiosa. Et acceptio autem pecunie semper est major deformitas: idemque est in illa, accipere uti ac dominum. Hæc Sanchez.

3. Quoad posteriorem questionem sic habet Sanchez, tit. 2. in dec. lib. 7. cap. 20. numero 3. Communitas verissima sententia est, eam quantitatem necessariam, & sufficientem, quæ necessaria est, & sufficit in hominibus singularibus ad constituendam materiam peccati mortalis. Et paulò post: Iam hodie, inquit, communis sententia est, exigi in Hispania furtum quadruplicis arbitrii (id est, quatuor Regalium, seu Juliorum) ad mortale atque idem dicendum ad mortale Religiosi pauperem. Rectè item advertit sic, num. 6. Non semper quantitas in se notabilis absque licentia accepta, satis est ad mortale proprietatis peccatum, quia res magni valoris potest solum brevissimi temporis usum modici valoris usurpare, reddendo statim, & ideo erit solum culpa venialis. Hæc Sanchez.

4. Petes. Possumusne probabiliter sentire tam de peccato contra pauperem, quam ad peccatum usurpandi bona Monasterij, requiri illam quantitatem, quæ requiritur ad hoc, ut filius peccet mortaliter foras ab Patre, quando certum est requiri majorem, ut videmus sup. cap. 3. num. 3. & 4.

Respondet, negat id Sanchez dist. num. 3. & Jacobus Gordonius, lib. 5. g. 3. cap. 4. sine, sic habet. Quod recentiorum unus dicit in e. usmodi furtis, æque parum videri votum Superiorem, ac est Patris erga filium, probabile est, cum Instituti ratio vox ipsa Superioris, ac denum etiam clare prohibeat hujusmodi furtum.